

disti naturam, largire et gratiam. Prætere lumen tuum in umbris ignorantie palpitantibus, quærentibusque te. Reuoca nos ab erroribus. Porrige dexteram tuam infirmis, non ualentibus te sine peruenire ad te. Ostende te ipsum his, qui nil petunt præter te. Rumpes nubes uanarum fantasiarum, quæ mentis aciem non sinunt intueri te, eo modo, quo te inuisibilem uideri permittis desiderantibus uidere faciem tuam, quietem suam, finem suum, ultra quem nil appetunt, quia ultra nichil est, summum bonum, superessentiale. Non reperi in Soliloquiis, Meditationibus, Manuali &c. quæ Augustini, Anselmi, Bernardi nomine feruntur. Quid igitur, si Boetii forent $\sigma\omega\lambda\omicron\mu\epsilon\nu\alpha$, quem plura lucubratum constat, quam quidem ad nos peruenire? Verba recitata: qui dedisti naturam, largire et gratiam, ingerunt animo ea, quæ Petr. Bertius in Praef. ad edit. cit. pluribus arguit, quinque uidelicet Libris de Consolatione Philosophiæ addendum a Boetio fuisse Sextum, qui consolationis argumenta sublimiora e Doctrina Christi peteret.

CCCCLX.

U. 537 Codex membræneus lat. Sec. XIII. Folior. 36. 4. nitide, sed multis pro Scholasticorum more compendiis exaratus, et quondam Icti nostri J. Alex. Brassicani, dein Episcopi Job. Fabri $\kappa\tau\eta\nu\alpha$ Commentarios in mox relata Opuscula Boetii continet autore Gilberto de Porreta acutissimo Viro,

inter quatuor Galliae Labyrinthos censo, et Picavii Patriæ suæ usque ad an. mortis 1154. Episcopo, qui in Edit. Basil. 1556. post singula Opuscula sunt impressi. Atque cum his contulimus Exemplar nostrum, integrumque deprehendimus usque ad Opusculum IV. ante cuius medium Librarius manus sustulit in iis verbis: *per quam usu multorum dicimus diuersam esse naturam* — —, quæ leguntur edit. cit. 1556. p. 1231. Innotuit autem: *Libros questionum anitii quos exhortationibus precibusque multorum suscepimus explanandos &c. Particulæ Textus Boetii columellis distinguuntur. Quæ graeca adferuntur, literis latinis expressa sunt. Lectio valde adcurata est. In Prooemio tamen universali emendo penitus strangulare pro transgulare, in Prooemio L. I. Codex quidem habet in cenis Sophistarum, sed præferendum, quod legunt Edita, in scenis, cum mox fiat Menandri mentio; in fine tamen Prooemii L. III. melius uideri possit e Codice: *intelligentiam ejus adduxit, quam admisit.* &c. In Fidei Professionem Boetii non uideatur Gilbertus commentatus fuisse.*

CCCCLXI.

U. 275 Codex membræneus lat. Sec. XIV. Folior. 179. f. per duas columnas admodum minute, verum nitide descriptus et minio distinctus multa complectitur, quæ hoc ordine evolvuntur: I. *Incipit liber boetii de trinitate.* Puta IV. Opuscula: *Quomodo Trinitas est unus*

unus Deus et non tres Dii. Utrum Pater et Filius et Spiritus s. de diuinitate substantialiter praedicentur. An omne, quod est, bonum sit. De duabus Naturis et una Persona Christi. Ultimatum hoc in Edit. Opp. Boethii, Basil. 1546. f. reliqua praecedat p. 948. Ceterum Textus utrinque probe conspirat.

II. fol. 6. succedit Liber de trinitate quem edidit ricardus de sancto uictore. Sex re ipsa Libri sunt praevio Prologo, qui incipit: *Iustus meus ex fide uiuit. Apostolica sententia simul et prophetica &c.* Singulis Libris praefixa sunt Capita Summaria, eadem prorsus, quae in Edit. Opp. Nostri Colon. 1621. 4. a p. 339. per Capita singula distribuuntur. Exemplum integrum est, castigat scriptum. Ad L. V. Caput 14. manu ejusdem aevi margini adiectum est ratiocinium de Geometrica et Arithmetica Medietate, quam eo in capite Richardus ad explicandam in Divinis processionem adhibuerat.

III. fol. 23. p. 2. praemisso longo e L. I. *Retractat.* c. 9. loco *Incipit primus liber de libero arbitrio in quo inquit Augustinus unde sit malum.* Ita et II. et III. absque ulla subdivisione, vel indicatione Colloquentium. Initium: *Die mihi queso te. utrum deus non sit auctor mali &c.* Lectio collata cum Mauriana T. I. Opp. Aug. Paris. 1689. col. 569. f. proba est, sed id non uni manus debet, quae multis locis partim correxit, partim subplevit. Id quod etiam de sequentibus S. Patris Operibus dictum velim.

IV. fol. 40. iterum praemissa *Retract.* e L. I. c. 4. *Incipit primus liber soliloquiorum aurelii augustini.* Ita: *Voluenti mihi multa et varia mecum &c.* Sequitur L. II. ut T. cit. col. 553.

V. fol. 46. cum *Retract.* L. I. c. 13. *Incipit liber sancti augustini episcopi de vera religione.* Ita: *Cum omnis uite bone et beate uia &c.* ut T. cit. col. 747. Eodem cum praecedentibus habitu.

VI. fol. 56. praevia *Retract.* L. II. c. 3. *Incipit liber sancti augustini de agone christiano.* Ita: *Corona uictoriae non promittitur nisi certantibus &c.* ut Edit. cit. T. VI. col. 245.

VII. fol. 59. liber augustini aduersus manicheos contra epistolam fundamenti. Ipsius nempe Manichaei. Init: *Unum uerum deum omnipotentem. ex quo omnia &c.* ut Edit. cit. T. VIII. col. 151. Praeit et hic *Retractatio* e L. II. c. 2.

VIII. fol. 65. post locum *Retract.* L. I. c. 22. absque inscriptione sequitur Eiusdem *Liber contra Adimantum Manichaei discipulum* hoc initio: *De eo quod scriptum est. In principio &c.* ut T. mox cit. col. 111. Primum ex haecenus enumeratis Opusculis, quod in Capita XXVII. diuisum est.

IX. fol. 73. p. 2. *Incipit liber augustini de quantitate anime.* Omnia *Retractatio.* Initium: *Quoniam uideo te habundare ocio &c.* ut Edit. cit. T. I. col. 401.

X. fol. 82. p. 2. *Incipit liber Aurelii Augustini yponensis episcopi de LXXXV. questionibus ante epi-*

episcopatum editis et post episcopatum in unum librum collectis. Titulus hic erutus est e L. I. *Retract.* c. 26. qui locus etiam hic in Codice praefixus legitur. In eo diserte memorantur *Quaestiones LXXX. tres*, et tamen in Elencho subsequo, qui ordine cum *Edit. T. VI. col. 1.* non concordat, habes *LXXXV.* duas videlicet advenas, quarum prior numero *LXIV. Eum qui ut vult vivit beatum esse*, altera numero *LXXXI. De Pascha.* Utramque reperies in *Append. ejusd. T. col. 1.* in *Libro dicto XXI. Sententiar. seu Quaestionum*, in quo utut non omnia *Augustini* sint, hae tamen II. *Quaestiones* certius ad eum pertinere videntur; nam eadem cum priore disputat in *L. de beata Vita* et *XIII. de Trinit.* et *Ritum Paschatis Judaici* de *Agno Christo* exponit *T. III. P. 2. col. 630. 653.* et *T. V. col. 744.* &c. Indagandum foret igitur, an omnia antiquissima *Exemplaria mfs.* cum ipsius *Libri Quaestionum*, tum *Retractionum* in *Quaestiones LXXXIII.* conspirent, nullumque *LXXXV.* adfignet.

XI. fol. 98. decursis octo *Augustini* Opusculis gradus fit ad *Anselmum Cantuar.* rubricationibus deinceps omissis, caractere vero, qui paene *lyncis* visum desiderat, continuato, et primo quidem comparent *Libri II. Cur Deus Homo*, eodem numero in *Capita* distributi, ut edit. *Gerberon. Paris. 1721. p. 74. f.* Prooemium in fit: *Opus subditum propter quosdam &c.* Opus ipsum: *Sepe et studiosissime a multis rogatus sum &c.* Textus sincerus.

XII. fol. 107. p. 2. *De conceptu virginali et de peccato originali.* Initium: *Cum in omnibus religiose tuae voluntati velim si possim obsequi &c.* ut edit. *cit. p. 97.* nulla tamen in *Capita* divisione.

XIII. fol. 111. *De Processione Spiritus sancti.* Rescribe *De Azy-mo et Fermentato.* Nil enim aliud est, quam *Anselmi* Responsum ad *Waleranni* Quaesita de *Processione Spiritus s. de Pane eucharistico* et de *Connubiis*, quod habetur edit. *cit. p. 135.* Incipit Codex: *Anselmus servus ecclesie cantuariensis — — — nuemburgensi episcopo. Scienti breuiter loquor. Si certus essem prudentiam vestram non fauere successori Julii cesaris. et neronis et iuliani a potestate, ridiculo lapsu pro apostatae &c.* et finit: *saltem non reprehendant azimitas.* Deest igitur *C. Gerberonii VII. de Connubiis.*

XIV. fol. 112. *Anselmus de Officijs.* Ita margo. Est vero *Epistola* hujus initii: *Fratri in christo karissimo illuminatos oculos cordis. Lego et relego karissime opus uestrum de officiis multumque me delectat eius lectio &c.* *Epistolam* hanc inter *Gerberonii, Dacherii, Baluzii, Martenii* editas non reperi. Carpit in ea *Anselmus* quaedam non rite expressa in illo *Opere* circa *Transsubstantiationem*, atque ait inter alia: *Nam panis substantiam post dominici corporis consecrationem in altari superesse semper abhorruit pietas christiana, nuperque damnauit in berenseco (Berengario) turonensi eiusque sequacibus.* Unde censeo datam hanc

Epi-

Epistolam ad *Ivonem Carnotensem*, qui Nostrum non nisi 6. annis vivendo superavit, nobisque de eccl. Sacramentis et Officiis cum *Sermones*, tum *Micrologum* reliquit. Extrema sunt: *et ut sincerum uas nullus possset incrustare.*

XV. fol. 113. iterum in margine: *Anselmus de sacramentis.* Occurrit Liber hoc titulo bis in magno *Mssptorum Bibliothecar. Angl. Catalogo*, et in *Bibliotheca Min. Conventualium S. Crucis Florentiae* visus est *Mabillonio*, ut narrat *Mus. Ital. T. I. p. 163.* et addit, non levis fore momenti, si Codex esset correctior. En igitur quartum Exemplum. Initium est: *Karissimo suo electo ex militibus (millibus) suus ille — seipsum. Cum nuper recta — exigente causa cuidam fratri breuiter de sacramentis scripsissem (fortasse superiorem Epistolam) sumpto inde cogitandi exordio rationes quasdam ex patrum sententiis sumptas cepi inuicem conferre et quedam que in libris eorum et maxime beati augustini super hac re non nullos turbare solent in unum colligens temptare cepi. vtrum aliquid ex inde possem conficere &c.* Igitur Articulis XII. realem Christi praesentiam in Eucharistia et Transsubstantiationem stabilitum it ad *Guilmundi, Lanfranci, Durandi &c.* modum in *Berengarium* intentus. Finis Opusculi: *Sermo diuinus est et doctrina celestis qui animam nostram efficit (reficit?)*

XVI. fol. 116. *Anselmus de incarnatione uerbi. Plenius de Trinitate et de Inc. contra Roscelinum*

f. *Roscelinum.* Abest a Codice *Praefatio* edit. cit. p. 41. et statim incipit: *Domino et patri uniuerse ecclesie in terra peregrinationis &c.* ut ibi. Nihil deest; nulla tamen Opusculi divisio notatur.

XVII. fol. 119. *Anselmus de concordia prescientie et predestinationis cum libero arbitrio.* Initium: *De tribus illis questionibus in quibus dei prescientie &c.* ut edit. cit. p. 123. Integra et hic omnia, sed continuo decurrentia. Neque negligenda *Heptas* haec *Anselmiana* maxime propter N. XIV. et XV. si quis *Gerberonio* adcuratior Editor olim existeret.

XVIII. fol. 124. redit *Miniator*, et *Incipit praefatio bernardi abbatis primi clereuallen. in laudibus beate virginis.* Hoc modo Auctor ipse IV. *Homilias* inscribi uoluit, quae vulgo dicuntur: *Super Missus est.* Vide *Monitum* praefixum Edit. *Maur. Opp. Bernardi T. III. col. 732.* Habentur porro hae *Homiliae* hic integrae cum *Praef.* quae incipit: *Scribere me aliquid et devotio iubet &c.* et *Clausula* excusatoria huius initii: *Lectioem evangelicam exposui sicut potui &c.*

XIX. fol. 130. *Incipit prologus de gratia et libero arbitrio. Domino guillelmo abbati sancti theodorici frater bernardus. Opusculum de gratia et libero arbitrio quod illa qua scitis &c.* Tractatus ipse: *Loquente me coram aliquibus (Edita aliquando) et dei gratiam in me commendante &c.* ut edit. cit. T. II. col. 603. Integer.

XX. fol. 135. Trias Sermonum Eiusdem nempe XLV. XLVI. XLVII. de *Diversis*, ut leguntur T. III. cit. col. 1180. Prior de varia Trinitate: *Beata illa et sempiterna Trinitas* &c. Duo subsequi in illud: *Ave Maria gratia plena. Non in sola virginitate* &c. et: *Bene plena quia Deo* &c. Hi duo nobis *Exceptiones* inscribuntur.

XXI. fol. 135. p. 2. Incipit praefatio sancti bernardi super gradibus humilitatis. Praeit tamen Particula *Retractionis*, qua Titulus Operis defenditur. Initium Praef. est: *Rogasti me frater godefride quatenus ea* &c. Illam excipiunt *Capitulum* Summaria utriusque Partis, diversa ab iis, quae praefert Editio T. II. col. 559. Tandem ipsum Opus: *Locuturus ergo de gradibus humilitatis* &c. Omnia integra.

XXII. fol. 141. p. 2. Incipit liber beati bernardi de precepto et dispensatione. Et quidem a Praef. ad Monachos *Cannotenses*; Epistola enim ad Abbatem *Columbensis* ad calcem reposita est. *Qua mente iam tacebo* &c. ut T. cit. col. 499. Ceterum nihil deest.

XXIII. fol. 147. Incipit liber apologeticus ad dominum Guillelmum abbatem sancti theodorici. Absque Praefatiuncula incipit: *Usque modo si qua me scriptitare insistis* (jussistis) aut *invitus* &c. Integer est, ut T. cit. col. erronee 327. pro 527. sed mendis non caret.

XXIV. fol. 150. in margine manu Sec. XV. *Bernhardus ad fratres* (Carthusianos) *de monte dei.*

Verum expende *Admonitionem* Dissertationi huic epistolari praefixam edit. cit. T. V. col. 195. qua vindicatur Abbati S. *Theodorici Guillelmo*, seu *Willelmo Bernardi* amico mox memorato, unde et incipit: *Dominis et fratribus H.* (aimoni) *priori et ceteris W.* (illemus) *sabbatum delicatum. Pene impudenter* &c. Abest a Praefatione totus ille Locus: *Dividitur autem illud Opusculum* &c. Cetera integra sunt.

XXV. fol. 158. Incipiunt meditationes beati bernardi. Nempe: *Multi multa sciunt, et semetipsos nesciunt* &c. ut edit. cit. T. V. col. 319. ubi ab *Bernardo* abjudicant Editores, quorum, si libet, rationes ibi vide.

XXVI. fol. 162. Incipit regula beati augustini. Addunt Edita T. I. *Opp. Paris. 1689. col. 789. Ad Servos Dei.* Initium est: *Ante omnia fratres karissimi diligatur deus* &c. Nihil in Codice deest.

XXVII. fol. 163. reditur ad *Bernardum*, et quidem Epistolam, ut praefert Rubrica: *Ad Robertum nepotem suum qui de ordine cisterciensi transierat ad cluniacensem.* Est illa T. I. edit. *suprac. col. 1. Prima Epistolarum* et incipit: *Satis et plusquam satis sustinui* &c. Integra in Codice.

XXVIII. fol. 164. p. 2. *avertit* *vgapos* ab alia, aequae tamen vetusta manu Sermo, qui incipit: *Sicut tabernacula cedari, sicut pelles salomonis. Hinc incipiendum quia hic desit sermo superior* &c. XXV. videlicet in *Cantica Cantica*. Parentat hoc Sermone *Bernardus*

fra-

fratri suo *Girardo*, ut T. III. col. 1353. Adjectum est in Codice etiam sequentis *Sermonis XXVII.* initium ad verba: *sed indiscussum remansit.*

XXIX. fol. 169. operosus Codex exit in *Enchiridion sancti augustini Laurentio cuius eruditione delectatur cupiens illum esse sapientem scriptum totum diuinum.* Praeit Locus *Retract.* L. II. c. 63. Init: *Dici non potest dilectissime fili &c.* ut Edit. *Maur.* T. VI. col. 195. et a nobis saepius indicatum est.

CCCCLXII.

U. 524 Codex membranaceus lat. Sec. XII. Folior. nunc 92. 4. min. perquam nitide exaratus, rubricis distinctus, et olim, ut praenotatur, *Joh. Fabri* eruditi Praefulis nostri litera quadra miniata inscribitur: *Incipiunt Sententiae Divinitatis. Doctrinae Theologicae Corporibus Sec. primum XI. Sententiarum nomen esse coepit, praeludentibus Anselmo Cantuar. et Hildeberto Cenoman.* Hinc nominati *Anselmus Laudun. Guilelmus de Campellis, Hugo S. Victoris, Robertus Pulvis Card. Petrus Pictav. Petrus Abailardus* problematicae methodi autor, et qui ceteris palmam eripuit *Petr. Lombardus* *ἀντινομιαν* *Magister Sententiarum* dictus. Atque hos omnes, quatenus typis ad nos pervenerunt, contuli, ut *Sententiis* nostris autorem reperirem, verum irrito conatu. Primum igitur adscribam *Capita*, quibus illae continentur. *De Deo.*

De Qualitate creationis angelorum. De dignitate creationis diaboli. De hominis creatione. De voluntate dei. De peccato. De originali peccato. De actualibus peccatis. De prouidentia. De incarnatione domini. De fide spe et caritate. De caritate. De circumcisione, quod ultimum inscriptione caret. Jam *Caput I.* ita incipit: *Prima origo rerum et causa omnium deus ante omnia eternaliter existens in omnibus inuariabiliter post omnia interminabiliter creauit mundum id est omnem creaturam. non secundum exemplar sed de materia sibi coeterna sicut arbitrantur philosophi dicentes nichil fieri de nichilo. Nam plato tria principia omnium asseruit deum uidelicet et exemplar quod uocauit ideam. tertium materiam quod uocauit ilen (ὄλον). Aristoteles duo principia posuit. materiam et speciem. et tertium cum his quod operatorium dixit. Hos errores moyses in exordio sui sermonis destruxit dicens In principio creauit deus caelum et terram &c. Vides Autori nota esse veteris Philosophiae placita, quod si addas methodum, qua frequenter varias aliorum ad Objecta responsiones adferre contentus nihil ipse statuit, aut decedit, *Abailardi* tibi in mentem venire possit, haberique in hoc Codice Opus illius ab *Introductione ad Theologiam*, et *Theologia Christiana*, quae jam typis extant, diuersum. Extrema sunt: *Anima pro diuersis actionibus diuersa nomina sortitur. dum uiuificat corpus anima uocatur. dum vult animus est. dum scit mens**